







*[Faint, illegible handwriting on aged paper]*

1  
1  
16  
17  
20  
21  
22  
23  
24



1711.

17. Schroeterus, Fr. Christianus : De sententia inter vo-  
cantes lata.
18. Schroeterus, Fr. Christianus : De testibus minus idoneo-  
rum habitate.
19. Neugytius, Fr. Philippus, Fac. jur. Decanus : Programma,  
lectioni auspicali Christiani Ynglandi praemissum.
20. Neugytius, Fr. Philippus, Fac. jur. Decanus : lectioni auspica-  
li Fr. Christophori Heimkykii praemissum.
21. Neugytius, Fr. Philippus, Fac. jur. Decanus : lectioni auspica-  
li Joannis Strintzi praemissum.
22. Neugytius, Fr. Philippus, Fac. jur. Decanus : lectioni auspica-  
cili Fr. Augusti Thielii praemissum.
23. Stenius, Burchardus Gypshoffius : Joachimus Nestor Comitatus  
Rupinensis restaurator.
24. Wendler, Joh. Christophorus : De variis varietatibus litterarum  
impressorum Caesaris.

1711.

25<sup>te</sup> Wildvoegelius, Christianus: De buccinatoribus conuictis  
jure. 2 Exempl.

26. Wildvoegelius, Christianus: Ord. jur. . . . Decanus: De distri-  
butionibus quotidianis . . . Programma inang. (lectioni  
auspiciali Johannis Friderici Neueri praemissum)

27. Wildvoegelius, Christianus: De filiis rectorum.

28. Wildvoegelius, Christianus, Collegii jurid. . . . Decanus: De prae-  
parca principis subtilitate. Programma (lectioni auspiciali  
Christiani Bonhardi Krebsii praemissum).

29. Wildvoegelius, Christianus: De singulorum causis exheredandi liberis in  
Ducatu Magdeburgico.

30. Wildvoegelius, Christianus, Collegii jurid. Decanus: De  
entheca clericorum ad. Can. II. caus. III. q. 1. Programma,  
(lectioni ausp. Ulrichi Marbachii praemissum).

31<sup>te</sup> Wildvoegelius, Christianus, Collegii jurid. Decanus: De vobis  
levato ad l. v. p. de nup. pag. Programma (lectioni auspi-  
ciali Johannis Gottliebii Ularis praemissum) 2 Exempl.

32 <sup>3, 6, c</sup> Wildvogelius, Christianus: De statutis provincialibus.  
3 Sumpt. 1711: 1747

33. Wildvogelius, Christ.: De testamentis legati.

34. Wildvogelius, Christian: De negligentia ministri prin-  
cipem non adigantè.

35. Wildvogelius, Christianus: De non praescriptis libris.  
2 Sumpt. 1711: 1741.

P 450





1711, 20

4

41

248

PROGRAMMA  
 IO. PHILIPPI SLEVOGTII, D.  
 in Academia Ienenii antecessoris, Faculta-  
 tis Iuridicæ & Scabinatus Senioris, illiusque  
 hoc tempore DECANI


*Lectiōni auspicali*

IO. CHRISTOPHORI HEINIGKII  
 Summorum in utroque iure honorum  
 Candidati meritisimi

*premisum*

I E N A E, M D C C X I

LITTERIS GOLLNERIANIS.





ONSVLVM Romanorum munus erat, cognoscere causas, ac ius dicere inter litigantes. Verum contingebat subinde, ut exortis bellis, quum aduersus hostem exercitus ducerent, abesse ab vrbe cogentur. Vnde flagitabat necessitas, ut vicarius constitueretur magistratus, qui consulare interea munus sustineret. Hic prator, & quidem maior appellabatur, teste Festo: quod pratorum plures, sed minores essent. Dicta pratura ipsa *urbana prouincia*, & prator *urbanus*, quia vrbi praesset, atque inter ciues ius diceret. Lilius lib. xxiv, 9: *Comitiis pratorum perfectis sc. factum est, ut Q. Fulvio extra ordinem urbana prouincia esset; isque potissimum consulibus ad bellum profectis, vrbi praesset.* Quod autem consulare munus sustineret, iisdemque auspiciis crearetur, *collega consulum* vocabatur. Idem Lilius vii, 1: *Pratorem etiam iura reddentem, & collegam consulibus, atque iisdem auspiciis creatum.* Prima quoque eius, absentibus consulibus, dignitas. Officium, praeterquam quod ius redderet, cogere senatum; tueri viduas ac pupillos; sacra & ludos quosdam sollemnes facere. Ac sub Othone principe adhuc durauit mos, ut senatum cogeret. Aucta quoque sub Tiberio iurisdictio: ut de histrionibus cognosceret; sique immodice his aliqui fauerent, eos multa comperceret, atque etiam exilio, vbi opus foret. Quod ad nostrum praecipue institutum pertinet, initio statim magistratus sui in albo proponebat *Edictum*, siue iuris formulam, secundum quam durante pratura ius esset dicturus. Succurrebatque hac via legibus, vbi aut deficerent, aut rigor temperamento ex aequitate opus haberet. Ceterum non omnes causarum edicto continebantur: neque enim de omnibus prator ius poterat reddere. Atque in vniuersum illa solum pratoris iurisdictio comprehendebat, qua priuato

uato Quiritium iure continebantur. Consulendus Cicero epistola ad Plancum lib. x, 12, & extremo Philippicæ quartæ decimæ, Gellius Noct. Attic. lib. xiii, cap. 15, Rupertus ad Ench. Pompon. §. 27.

Ab vrbano prætore *peregrinus* differebat. Qui hoc sibi nomen ex eo inuenit, quod inter peregrinos ius redderet, eosque aut solos, aut si cum ciuibus lis esset. Confitui cœpit vltra centum annos, post creatum prætorem vrbantum; momente Ruperto ad §. 28 Pomponii, minus accurate loquentis. Postquam nimirum tanta peregrinorum in vrbe confluebat turba, vt multiplicatis inde litibus, prætor vrbanus omnibus componendis vnus non sufficeret. Vtrum & hic initio magistratus sui edictum proposuerit, vt veri simile est, non memini legere.

Quantum lapsu temporis, ad Hadriani vsque imperatoris ætatem, numerus edictorum creuerit, quæ saltem vrbanos prætores habebant auctores, facile est coniectu. Itaque de redigendis in ordinem consilium cepit. Iustinianus præfatione Digestorum ad Magnum Senatam: *Diuis Hadrianus, pia memoria, quæ a prætoribus quotannis edicta fuerant, breui complexus est libello, adsumto ad id optimo Iuliano.* Fuit hic Saluius Iulianus, quem idem imperator in dicta præfatione vocat *omnium iuris conditorum, qui olim claruerunt, prudentissimum.* In altera ad Senatam & omnes populos, *subtilissimum legum & edicti perpetui conditorem.* Quod posterius de edicto repetitur, substituta voce *ordinatoris*, lege x Cod. *De condict. indeb.* diciturque ibidem *summa auctoritatis homo.* Huic consentit, laudatus a Menagio Amœnitatum cap. xxiv Hieronymus, in Chronico Eusebiano, *Saluimum Iulianum perpetuum edictum composuisse.*

Attamen Aurelius Victor, in Cæsaribus, Didium Iulianum imperatorem, Saluii Iuliani non auunculum, vt vult Politianus, notante Menagio; sed pronepotem\*, facit Edicti auctorem. Hocque illum, quamquam falso, statuere, & quosdam Græcos scriptores idem sentire, testatur Casaubonus ad Spartianum. Qui eundem hinc *νομοθετην* vocent. Simpliciter

A 2

Vi.

\* *Amitinum vult Rupert. ad Ench. Pomp. p. 469. An & Politianus?*

Victorem sequitur; quod scilicet verum putaret; Hugo Grotius in Florum sparsione. Causa erroris fuerit, quod Iulianus ille itidem *Saluus* a Victore, & Paulo Diacono; quodque *iuris peritus, iuris urbani præstans scientia, iure peritissimus*, a quibusdam appellatur. Verum enimvero recte censet Casaubonus, falsa esse, quæ apud Victorem habentur: & Menagius, non quidem falsum animi historicum, sed tamen verba eius esse corrupta. Quod in illis, *At Didius (an Saluus?) Iulianus*, statim manifestum fit. Ad quid enim ista interrogatio? Explorare debuerat verum nomen. Sequentia maiorem speciem habent: *Quippe qui primus Edictum, quod varie inconditeque a prætoribus promebatur, in ordinem composuit*. Attamen non singula prætorum edicta incondita, seu male fuisse disposita legimus; sed illam edictorum multitudinem, quæ utique non eundem omnia ordinem sequebantur, ac præterea sententiis haud dubie valde discrepabant, Iulianus (quisquis tandem fuerat) in perpetuum iustumque ordinem redegit. Electis puta, quæ meliora; suppletis, quæ hisce deerant; resectis, quæ sæpius repetebantur, aut pugnabant cum melioribus. Quod non neglecturum fuisse, credi par est, Victorem; pro iudicii, a quo laudatur, acrimonia. Suspectus igitur is locus.

Quare stet verior Iustiniani sententia, D. Hadrianum imperatorem, non Didium Iulianum, concinnandi perpetui edicti fuisse auctorem. *Perpetui* nomen inditum, non quod vnicum; sed quod systema edictorum sub certis titulis collocatorum; quodque ab eo tempore perpetua esset norma, secundum quam prætores ius redderent. *Breuem libellum* vocat Iustinianus. Vnde colligas, multa ex immensa edictorum turba fuisse abiecta. Si tamen Digestorum libros, quos Iulianus scripsit, quorumque ultra nonaginta inscriptio legis *xxxii De legibus* laudat, respicimus: aut alios eos ab edicto perpetuo fuisse oportet; aut duntaxat commentarios in illud luculentiores. Quam doctissimi Tolofani præsidis, lo. Bertrandi, sententiam, Menagius probabilem censet; hoc argumento, quod alias nulla, in Indice Pandectis Florentinis præfixo, librorum Iuliani ad Edicta fieret mentio.

Maio-

Maiorem autem eorum fuisse auctoritatem, quam vt silentio præterirentur. Atque huic & nos subscribimus.

Præfari hæc placuit occasione lectionis auspicalis, in legem III Cod, *De edendo*, quam crastina luce, quod bene vortat, vir consultissimus,

## IO. CHRISTOPHORVS HEINIGKIVS

Illustr. Regiminis Saxo Altenburgici aduocatus, iam aliquot abhinc annis dignus summis in iure honoribus Candidatus, habere constituit. Consulti Septimius Seuerus, & Caracalla filius, imperatores, a Valente quodam, vtrum editam apud prætorem actionem emendari aut mutari liceat, rescribunt: vtrumque permitti; sed quatenus id fieri possit, ab Edicti auctoritate, & hoc deficiente, a ius dicentis, id est, prætoris ipsius arbitrio, prout æquum bonumque ei visum fuerit, pendere. Conditum iam tum fuerat perpetuum edictum, licet Didium Iulianum, quo de supra, habuisset auctorem. Ad hoc igitur imperatores respiciunt. Sicut vero ius dicendi potestatem semel acceperant prætores; ita illud præcipue iisdem curæ erat, vt ordine iusto procederetur. Quare in edictis suis de vocatione in ius, & de edenda aduersario actione, nominatim præcipiebant. *Vocandi* autem ius potissimum spectabant, in quantum priuatis impertitum erat. *Impertitum* dico. Nam magistratui, & quidem *maiori*, lictorem siue imperium habenti, vocandi ac prendendi ciues ius *ucl' ἐξουίη* competiisse, haud dubium est. Tales vero consules & prætores. *Qui* viatorem duntaxat habebat magistratus, sola prendendi & in vincula ducendi, non vocandi, gaudebat potestate. Sic tribuni plebis antiquitus creabantur, faciendis intercessionibus tantum, atque vt iniuria, quæ coram fieret, arceretur; non iuri dicundo, nec causis cognoscendis, & querelis de absentibus. Ceteris, quibus nec lictorem, nec viatorem habere fas erat; neminem aut vocare aut prendere licebat. Progressu tamen temporis tribuni plebis vocationem etiam sibi arrogabant: vt non priuatum modo, sed consulem quoque in rostra vocari iuberent. Certe Ateii Capitonis ætate

non amplius de iure isto videtur dubitatum. Fufius hæc legi  
in Gellianis Noctibus possunt, lib. XIII, cap. 12 & 13.

Vtrum iudex pedaneus vocandi potestatem habuerit, dis-  
putatum fuit ex lege III, I *Ne quis eum qui in ius vocatus*, & legis  
primæ §. 6 *De postulando*. Sed quoniam nec licitorem, nec  
viatorem habebant; quin ne magistratum quidem: quum præ-  
terea, antequam constitutum iudicium, partes eorum nul-  
læ essent; negantium verior est sententia. Quem enim quisque  
volebat conuentum, ad prætorem vocabat: hic causa cogni-  
ta dabat actionem, formulamque & iudicem. Suscepto semel  
iudicio, si ad condictum diem non adessent qui litigabant: illi  
non a iudice pedaneo; sed auctoritate prætoris a præcone; ac  
demum per edictum citabantur. Neque alia sunt *citationis ve-*  
*stigia* in Romano iure. Quare Vlpianum in lege tertia *Ne quis e-*  
*um*, simpliciter de casu accipiamus, quo quis ex errore, & im-  
peritus iuris, aduersarium ad iudicem pedaneum vocauerit.  
Tunc enim vocatum impune eximi: quod constituto semel iu-  
dicio, locus amplius priuatæ vocationi non esset. Ex eo,  
quod postulari poterat apud iudicem pedaneum, teste pariter  
Vlpiano, lege prima §. 6 *De postulando*, frustra conicias de  
vocandi iure.

Quocirca nec opus est, vt vtramque legem loqui singu-  
mus, non de iudicibus, qui ante Constantinum M. cum formu-  
la dabantur; sed qui magistratum minorem habuerint, in sub-  
felliis ius dicentes; quique hinc *pedanei* fuerint appellati. Nam  
lege v C *De pedaneis iudicibus*, haud euincitur, iudices, quos  
permisû Claudii Iuliani præsidis constituiebant, *vt negotia bu-*  
*miliora disceptarent*, fuisse magistratus. Certe non intelligere e-  
oldem Vlpianus poterat, qui sub Septimio Seuero (at quanto  
temporis interuallo) vixit. Accedit, quod frustra ex lege pri-  
ma, §. 1 *De postulando*, probaueris, apud solum prætorem po-  
stulari potuisse. Omnis enim apud magistratum incipiebat po-  
stulatio, siue in iure fiebat: apud iudicem pedaneum, sicut ipsa  
causæ cognitio, demum peragebatur. Et quis neget, aduocatos  
apud hunc admissos fuisse? Quod autem Vlpianus §. 1 indicatæ  
legis

legis, duntaxat quæ in iure fiebant postulationes definit; hæc  
caussa fuit, quod de iis solis edictum prætoris ageret. Nam apud  
pedaneos iudices non iidem, qui in iure, postulare prohibebantur.  
Vnde, vt §. 6 testatur, Senatusconsulto speciatim quidam excepti  
fuere, quibus nec apud illos fas esset pro aliis postulare.

Hodierno iure, mutata iudiciorum facie, ad citandi potestatem  
sufficit, cognoscendæ causæ ius habere: siue iudex sit ordinarius,  
siue extra ordinem mandata, aut ex consensu partium delata fungatur  
cognitione. Et quid frequentius, quam vt commissarii hodie, tam ante  
quam post contestatam litem, citent litigantes? Est enim alia eorum,  
quam iudicum pedaneorum ratio: etiam quando sola cognitio iisdem  
mandata. Ceterum, pro diuersitate iudicum, in citandi modo discrimen  
est seruandum. Si enim vel non subiectus sit iudici, qui citari debet,  
vel extra locum iurisdictionis agat: vtendum est subsidiaria, & interdum  
edictali citatione. Delegatus iudex, plerorumque sententia, mandati  
copiam iungere citationi debet, nisi, qui citatur, sit in proximo.

Patet ex hisce igitur, vtcunque aliquis dicendi iuris potestate,  
& in eum quoque, a quo quid petitur, imperio gaudeat: nisi tamen  
cognitionem habeat causæ controuersæ, frustra eum vocationem, siue  
ius citandi sibi arrogare. Hinc Paullus lege xx *De iurisdictione*, si quis  
extra territorium, aut supra iurisdictionem suam, ius velit dicere; huic,  
ait, impune non pareri. Quod idem tamen restringit lege secunda,  
*Si quis in ius vocatus*. Re enim dubia, venire vtiq; citatus debet,  
vt hoc ipsum sciatur, an iurisdictione sit citantis. Est enim, vt ex  
Vlpiano constat, lege v *De iudiciis*, ipsius citantis, an sua sit  
iurisdictione, siue vtrum fori exceptio vere opponatur, æstimare;  
citati autem, non contemnere illius auctoritatem. Quod hodie quoque  
obtinet.

In iis, qui vocandi sunt, ex personarum varietate maior  
difficultas. In vniuersum, quia vocatio in ius fit iudicialis negotii  
caussa, apparet, quicumque plane non intelligunt, qua de re  
vocentur, eos vocari non posse. Ergo & infantes excipiuntur,  
&

& furiosi : quod diserte dicitur lege IV *De in ius vocando*, & lege II *De condict. furt.* Extenditur hoc eo, vt nec valeat sententia, pro iisdem lata. Et furiosi quidem, nisi interualla certa habeat, minor in iure, quam infantis est fauor; quod Cuiacius docet ad L. IV *De vsurp. & vsuc.* Infans tamen, accedente quamuis tutoris auctoritate, obligare alium, nisi propior absit ab infantia termino, haud potest. Atque ita interpretantur §. 9 Inst. *De inut. stipul.* Vnde porro sequitur, nec sufficere hodie clausulam citationi adiectam, vt legitime compareat. Sed solus pater aut tutor, monente Vlpiano, lege prima §. 2 *De admin. & peric. tut.* vocari, ac suscipere iudicium debet. Quod si pater, tutorve, nulla vocatione præuia, vltro veniant ac suscipiant litem; subsistit quidem iudicium: haud tamen, vt recte interpretes, respectu infantis vocati; sed quia hoc casu non opus fuit, vt illi vocarentur.

De iis, qui infantiam excessere, sed adhuc sunt impuberes, scrupulum iniicit lex XXI *De in ius vocando*. Ait Gaius: *Neque impuberes puellas, que alieno iuri subiectæ essent, in ius vocare permissum est.* Puellæ ergo, si iuri alieno subiectæ non erant, & simpliciter pueri poterant vocari. Æque tamen, quid agatur, non intelligunt, siue, vt Paullus loquitur lege XII, §. 2 *De iudiciis, carent iudicio*. Ac frustra in ius vocantur, qui ob illum intellectum stare in iudicio nequeunt: ideoque, qui sui iuris sunt, tutoris auctoritate opus habent. An itaque Gaius ad rigorem legis XII *Tabularum* respexit? nam verba eius excerpta sunt ex libro primo ad hanc legem.

Equidem nusquam prohibitum legimus, impuberes masculos, siue sui, siue alieni iuris sint, ad prætorem vocari: sed illud tantummodo Paullus, lege XLV, §. 2, & lege LIV *De re iudicata*, ac Gordianus imperator lege prima Cod. *Qui legitimam personam*, volunt, ne contra indefensos pronuntietur. Poterant igitur, defensore quamuis non præsentem, stare cum aduersario in iudicio, nec omnia cum iis gesta erant irrita. Ex ratione enim, quam Gordianus affert lege XIV Cod. *De procuratoribus*, si pronuntiaretur pro iisdem, id omnino valebat.



lebat. Defensor autem requirebatur, vt condemnari pos-  
sent, vbi id postulare ius alterius. Multo magis in mi-  
noribus idem obtinet; vt ex dictis legibus apparet, atque  
ex lege 11 Cod. indicati tituli.

Neque refert, tamen si sub potestate patris sint impu-  
beres, aut minores. Nam minores quidem, ex contracti-  
bus suis, aut maleficiis, perinde ac patresfamilias, & obli-  
gantur & conueniri queunt; teste Vlpiano in lege LVII  
*De iudiciis*, & Gaio in lege XXXIX *De obligationibus & a-*  
*ctionibus*, lege CXL I, §. 2 *De verborum obligationibus*. Impu-  
beres filiifamilias, Romano sane iure, nequeunt obligari:  
vtque diserte ait Iustinianus, §. 10 *Inst. De inutilibus stipu-*  
*lationibus*, & Gaius allata lege CXL I, §. 2, ne patre qui-  
dem auctore. Verum id restringendum est ad casus, qui-  
bus non sibi, sed patri stipulando acquirunt. Alia aduenti-  
tiorum bonorum ratio est: quorum legitimus solum admi-  
nistratores est pater, quorumque respectu impubes & sibi ac-  
quirere, nec minus quam pubes, si consentiat pater, ob-  
ligari potest. Quod constat ex lege xvii, §. 4 Cod. *De*  
*iure deliberandi*, & lege viii, §. 3 Cod. *De bonis qua li-*  
*bris*. Recte igitur vocatur ipse, vt litem suscipiat, & sic  
quasi contrahat cum aduersa parte: adhibito tamen patre,  
aut alio defensore. Quid porro si delictum admiserit filius-  
familias? Potest vtique, vt apud veteres etiam legum com-  
mentatores se inuenisse testatur Iustinianus, §. 7 *Inst. De*  
*noxalibus actionibus*, conueniri, puta pecuniarie; licet præ-  
ter peculium profectitium nihil possideat. Quidni ergo vo-  
cari etiam in ius queat? Quamquam, argumento §. 11,  
legis iii *De peculio*, paterni arbitrii esse existimo, vtrum  
malit ipse suscipere iudicium; exemplo tutoris; an filium  
exhibere, vt se auctore ab illo suscipiatur.

Sane indicante lege viii Cod. *De bonis qua liberis*, in  
extremo principii, sine patris voluntate iudicium non sub-  
sistit, siue agat filiusfamilias, siue excipiat, licet plenæ ætatis  
sit. Sed non posse hanc legem simpliciter accipi, inde pa-  
tet,

ret, quod alias in potestate patris foret, deberet filius necne. Neque enim aduersarius filii vnquam consequeretur, quod suum est, si pater consentire nollet. Id quod pugnat contra legis I I, §. 3, *De eo quod certo loco*, & legis XI, §. 1, *De iurisdictione*. Hinc ab interpretibus recte illa constitutio restringitur ad casum, quo filius agit vel excipit de hereditate, legato, aut fideicommissio sibi relicto, & ex quo patri ususfructus debebatur, nisi id repudiasset. Ne igitur agenti aut excipienti filio obiiceret aduersarius, patri actionem vel exceptionem competere, non illi: declaratio paterni consensus requirebatur, vt constaret, nolle eum negotio huic misceri. Ac recenset Gothofredus pater ad dictam legem varios casus, quibus potest filiusfamilias sine patris consensu in iudicio stare. Tandem, si vel maxime paternus consensus simpliciter necessarius foret: illud solum inde sequeretur, vocari posse filium; sed, vt iudicium subsistat, accedere debere patris consensum.

Potestas itaque patria non impedit, quo minus filiusfamilias in ius vocetur; modo sit maior infantia. Illud duntaxat, vt valeat sententia, contra impuberem, aut minorem lata, opus est, vt aduersarius, si pater vel nollet, vel nequeat filium defendere, alium ei defensorem adiungi curet, argumento legis I & III Cod. *De in litem dando tutore vel curatore*.

Hactenus docuimus, potuisse impuberes, si infantiam excessissent, in ius vocari; & tantummodo ad hoc necessarium defensorem fuisse, vt consisteret sententia, si aduersus illos pronuntiaretur. Multo igitur magis potuit hoc fieri, si praesens pater vel tutor, & impuberi auctor esset in ius eundi. Quin poterat pupillus, quamuis non vocatus, tutore auctore iudicium suscipere, docente Vlpiano, legis I §. 2 *De administratione & periculo tutorum*. Licuit tamen etiam tutorem pro pupillo vocare, vt ex sequente lege XXVIII apparet, & ex lege XXIV *De V. O.* In eo solum, vt ex adducto Vlpiani loco, addito §. 3, constat, &

& ex Paulo lege xvii *De auctoritate & consensu tutorum vel curatorum*, discrimen erat inter pupillum ac minorem, quod pro arbitrio tutor aut ipse poterat suscipere litem, aut exhibere pupillum, & huic auctor fieri: adeo, vt ne a pratore quidem cogi posset auctoritatem prestare. In minore nequaquam par curatori licentia; sed potius arbitrio agentium relinquebatur, vtrum minorem ipsum, si præsens esset, vellent conuenire, vt ambularet in ius, ac litem consensu curatoris susciperet, an curatorem. Et tum demum minor cogi haud poterat, vt iudicium susciperet, si absens foret. Quod ideo monemus, quia primo adpectu ex Vlpiani verbis alia plane sententia videtur colligenda: nempe pupillum, licet præsens in vrbe esset, non potuisse tamen in iudicium vocari.

Vt iam reuertamur ad legem x xii *De in ius vocando*; cur Gaius de puellis impuberibus, quæ alieno iuri subiectæ sunt, neget, eas in ius vocare licuisse: profecto in puellis sui iuris non minor tum sexus tum ætatis, quam in istis est fauor. Vnde ea res fecit, vt aliqui verba legis emendatum irent; sed superuacaneo conatu. Ant. Faber, in Rationalibus ad legem hanc, certum putat, impuberes, cuiuscunque sexus sint, in ius vocari non potuisse: eumque ordinem a pratore debuisse seruari, quem præscribat Vlpianus in lege v, §. 1, *Quibus ex causis in possessionem eatur*. A Gaio autem ideo censet puellarum impuberum fieri mentionem, ne ex eo, quod in edicto pratoris nominatim excepta puella fuerit, quæ nubit, colligatur, quæ non nubant, etiamsi impuberes sint, in ius vocari posse. Quale argumenti genus in lege prima *De officio eius, cui mandata est iurisdictio*, & lege xviii *De testibus*, Cur autem additur, *Quæ alieno iuri subiecta essent*? Respondet Faber: Quia possit eo casu pater conueniri nomine puella, neque necesse sit, puellam ipsam vocari. Vnde quamuis sequatur, quæ patrem non habeat, eam posse conueniri: Faber tamen nihil regerit; sed quod de puella dixerat, idem putat

spondendum de puero impubere. Hinc pro *puellas* mauult *personas* legi. Quin probabilius existimat, pro *impuberes*, legi *puberes*. Ut sententia sit, ne quidem puberes posse in ius vocari, si alieno iuri subiecti sint: ciuilius enim fore, vt eorum nomine pater vocetur. At vero cur *puellas* adderetur? Nam *to personas* incongruum est, ac potius simpliciter dicendum fuisset *puberes*. Facile quoque a pueris ad puellas licebat argumentum ducere. Ego crediderim, hanc iuris tam diuersi causam fuisse, quod de patre constabat, aut constare facile poterat; an vero, & quemnam tutorem haberet puella sui iuris, plerumque incertum erat. Placuit igitur, & quidem fauore sexus, atque ætatis simul, si puella in potestate patris esset, vt ille potius in ius vocaretur.

Fasius huc vsque de argumento isto disputauimus ex Romano iure, vt inde tanto certius de hodierno vsu statuere possimus. Illud fatentur quidem interpretes, moti auctoritate Pauli & Gordiani, supra laudatorum; simplicem impuberum ac minorum citationem, quoties contra ipsos pronuntiandum est, pro nulla habendam, nisi cum defensore comparuerint. At vero in eo recedunt aliqui a iuris Romani principiis, quod negant plane, eosdem hodie ipsos citari posse. Sane vbi forsitan certi moris est, vt tutores ac curatores non tam auctoritatem vel consensum præstent, quam ipsi iudicium suscipiant; satis fore concedimus, si isti soli a magistratu vocentur. Idque de Belgio testatur Cyprianus Regneri in Censura ad legem primam *De administratione & periculo tutorum*. Atque hinc ait citationem minoris ipso iure nullam fore, nisi curatoris consensu pulset alterum actione. De pupillo videatur idem Disputatione ad Pandectas IV, 9. In quibuscunque autem regionibus pupillus ac minor possunt ipsi iudicium suscipere; non video, cur nequeant etiam in ius vocari. Neque enim ad hoc vocantur, vt soli veniant, aut simpliciter suscipiant litem; sed vt cum tutore aut curatore se sistant, vel saltem per eos respondeant aduersario.

Istud

Istud maxime interest actoris , vt clausula de tutore ac curatore citationi inseratur: itemque, si tutorem pupillus, curatorem minor non habeat, vt iidem vel inuitis a magistrato dentur. Cogi quoque minorem posse, missione in bonorum possessionem, vt curatorem petat, post Zafium & llii monent. Quibus ambagibus non opus videtur, quum paratum sit magistratus officium; nisi actor e re sua putet, nacta iam possessione illud demum implorare. Haud necessarium vero existimauerim, vt simul citetur tutor vel curator; quod volunt aliqui. Nam hec fieri id potest, si neuter eorum adhuc sit constitutus: & pro contumace tandem habere licet etiam pupillum vel minorem, qui cum tutore aut curatore, vel generatim legitime comparere iustus. Lex *xxiV De V. O.* interpretationem recipit ex lege *I, §. 2, De admin. & peric. tut.*

Idem de filiisfamilias, tam impuberibus, modo infantiam excefferint, quam minoribus dicendum. Filiasfamilias quoque impuberem, postquam sublata hodie priuata vocatio, pariter licebit, vt olim puellam sui iuris, citare. Multoque magis de filio, aut filiafamilias viginti quinque annis maiore idem statuamus. At Bonifacius *viii Pontifex*, in sexto Decretalium, cap. *iii De iudiciis*, filiumfamilias ait, sine consensu patris, esse in iudiciis regulariter non posse. Quod etiam de maiore viginti quinque annis intelligunt. Sed occasionem errori, vt verisimile est, verba Iustiniani dedere, lege *viii C. De bonis qua liberis*; contra sententiam imperatoris, vt supra docuimus, generalius accepta.

Ceterum, vtcunque hæc ita sunt, recteque a quibusdam statuitur, impuberes iuxta ac minores posse ipsos citari: in eo tamen iterum abeunt aliqui a Romano iure, quod necessario eosdem vocandos in ius putant. Nam aperte contrarium permittunt lex *I & xxviii De adm. & per. tut.* lex *xxiV De V. O.* supra allata. Vrget interdum etiam necessitas, si vel procul absint pupilli aut minores,

vel si nesciatur, vbi locorum degant, vt pro iis tutores vel curatores citentur.

Scripturam, qua pupillus, licet pubertati proximus; aut minor citatur, iis ipsismet exhiberi, non est consultum. Nam vt mos illius ætatis, præcipue impuberis, aut pubertate non multum maioris; quia fere minus intelligunt momenta rerum, negligentius quoque curant talia. Vnde facilis occasio, & prætextus fugiendi iudicii. Rectius ergo, argumento legis v, §. 2 *Quibus ex causis in possessionem eatur*, traditur tutori, vel curatori, si quem habent; aut coniunctis necessitudine vel adfinitate. Quod in pupillis Curiam Lipsiensem obseruare, vt non ipsis, licet infantiam egressis; sed tutoribus citatio reddatur, testis est Carpzouius in Processu iuris. Atque hoc tanto magis probandum est, quod non temere quidquam decerni contra pupillos minoresve; sed prius constare debet ac liquere iudici, vtrum habuerint defensores. Hinc subinde euocandi ipsi tutores aut curatores, aliive, atque officii sui admonendi sunt. Quo pertinet Vlpiani monitum, dicta lege v, §. 2 *Quibus ex causis*, & formula pronuntiandi apud Carpzouium Proc. xvi, 4, 36.

Quam varix hinc esse soleant formulæ citationis, pro diuerso iudiciorum vsu, ex illis, quæ diximus, facile constabit. Si solus impubes, aut minor citetur, poni moris est: *Daß Beklagter nebst seinem verordneten Vormunde, oder dessen Aetorn, erscheinen solle.* Et quoties necesse non est, vt ipsi compareant, qui citantur, in locum *rs̄* nebst siue mit, particula durch substituitur. Cum pupillo aut minore tutor vel curator, in Curiis prouincialibus hac formula citantur. *Ich Paulus Sempronius entbiethe euch weyland Marci Manii nachgelassenen Erben und Kindern, wie auch dero respectiue kriegischem Vormunde, meine freundliche Dienste, und günstigen Willen, und füge euch hiermit zu wissen. Porro: So citire, lade und beische, Krafft tragenden Richterlichen Amts ich euch hiermit samt und sonders, daß ihr auf angesetzten Tag.* Quod

Quod si tutor vel curator solus vocetur, hæc vulgo vſitata est formula: *Als werden derer Vnmündigen beſtätigte Vormünder*; ſiue: *Als wird vorbenannter Curator hiermit citiret und erfordert, geſchickt zuſorderſt ſeine Perſon gnugſam zu legitimiren, folgendes zu ſehen und zu vernehmen, & quæ ſequuntur.*

Sed quorſum tandem abimus? Plane immemores inſtituti videmur, dum proluſionis tranſcendentes metam, quaſi ex profeſſo tractamus, quæ in tranſitu tangi ſatis fuerat. Verum haud licebat currentem iam rotam commode reuocare, aut ſufflamine adſtringere. Speramus etiam, quod voluntate Candidati noſtri factum eſt, non ſine uſu iuuentutis ſtudioſæ, cui prodeſſe, quantum poſſumus, in hac arena noſtra laboramus, futurum. Philemonis apud Stobæum iudicio, vt breuem & longum quempiam iure cenſeamus, non verba dicentis, nec temporis, quamdiu dicit, ſpectanda momenta ſunt; ſed quantum proferat τὸν δέοντων. Quod ſi & nos, quæ nec loco, nec tempore inoportuna ſunt, quæque muneri noſtro congruunt, diſſerui- mus; haud male collocatam putabimus operam.

Alterum, cuius in edictis ſuis præcipuam habuiſſe curam prætores dicebamus, eſt *actionis editio*. De qua ipſa, & quatenus mutari aut emendari poſſet, Edictum perpetuum egiſſe, lex III Cod. *De edendo* teſtatur. *Edita actio*, aiunt Imperatores, *ſpeciem futura litis demonſtrat: quam emendari vel mutari licet, prout Edicti perpetui monet auctoritas*. Quod autem ſubiicitur: *vel ius reddentis decernit æquitas*; illud ex Iuſtiniano, præſationis ad Senatam & omnes populos §. 18, lucem accipit. *Sed & Diuus Hadrianus in compoſitione Edicti, & SC. quod eam ſequutum eſt, hoc apertiſſime definiit, vt ſi quid in Edicto poſitum non inuenitur, hoc ad eius regulas, eiusque coniecturas & imitationes, poſſit noua inſtruere auctoritas*. Ex quibus verbis, conceſſam ab Hadriano prætoribus fuiſſe interpretandi Edicti perpetui poteſtatem, intelligimus.

Ar

Atque in constitutione hac luculentius explicanda Candidatus noster occupabitur. Qui patriam sortitus est veterem Saxoniam Ducum sedem, Altenburgum, XIV Cal. Febr. anno reparatae salutis MDCLXXXI: patre, viro amplissimo, IO. CHRISTOPHORO HEINIGKIO, Ducalis Collegii, redditibus provincialibus praefecti, Secretario, Praetura insuper Altenburgica conspicuo. Mater, femina honestissima, ROSINA MARIA, reuerendo viro, *M. Sebastiano Vazero*, Grabensis quondam ecclesiae in Ducatu Salfeldensi pastore, oriunda, iam vndecim abhinc annis vitam beate finiuit. Pietatis atque honesti moris praecipis a parentibus imbutus, mox litteras etiam, cum aetatis progressu, & domi, & a publicis praceptoribus per gradus edoctus fuit. In priuatis iuuentutis suae formatoribus praecipue laudat *Iacobum Traubertum*, Mehnæ, in Altenburgensis dioeceseos pago, munere sacro nunc fungentem: in publicis autem, Directorem, vt vocamus, Gymnasii celeberrimum, *Io. Christophorum Wenzelium*, Doctorem medicæ artis experientissimum, cum Conrectore *M. Friderico Friso*, & Subconrectore, *M. Ioanne Christiano Sternio*, viris clarissimis. Horum fido dextroque ductu ea studiis altioribus fundamenta praestruxit, vt anno praeteriti saeculi nono atque nonagesimo, facultatem consequeretur nostras Athenas aedeundi. Huc delatus, tum philosophicas disciplinas, quæ necessariae sibi ducebantur; tum iurisprudentiae singulas partes; & publicas frequentando & priuatas acroases, ordine est aggressus. Ac logicam quidem & metaphysicam, cum doctrina morali, in numerosissimo commilitonum coetu docentem audiuit *Ioannem Philippum Treunerum*, sacrae theologiae Doctorem, tum temporis priorum disciplinarum apud nos Professore praecellentissimum; hodie Augustae Vindelicorum antistitem maxime reuerendum. Prudentiae ciuilibus praepcepta, ex Aristotele, & probatis aliis scriptoribus concinnata, itemque & iuris naturalis ac gentium doctrinam, e Grotiano huius argumenti, siue De iure belli & pacis petitam opere, pri-




priuatis debet scholis magnifici viri, *Io. Bernardi Frisii*, consilarii Saxo-Isnacensis aulici & antecessoris, hospitis sui colendi. Historiam vero, quaeque varia eruditionis nomine signantur, ex erudito *D. Georgii Schubarti*, eloquentia ac historiarum professoris, viri praecleari, ore hauriebat. Omni studio posthac prudentiae iuris, siue iudicando olim, siue postulando, aut causas defendendo exercenda esset, incubuit: idque tanto feliciore progressu, quod singulari ductu amplissimi viri, *Io. Christophori Polmari*, praefectura Altenburgensis adiuncti, Institutiones Iustinianaeas explicantis, praeparatus ad nos accessisset. Praeter priuatam igitur consultissimorum virorum, *D. Guilielmi Ditzmari*, & *D. Georgii Gottlob Seruuii*, nuper Curiae prouincialis apud nos aduocatis adscripti, operam, totum se dedit laudata *Frisiana* institutioni. Quo viam monstrante, & imperatorias Institutiones, Pandectasque cum feudali iure, vocatis in subsidium familiaribus iuuentui systematibus, per temporum interualla interpretante, promte coeptum iter impigre perrexit. Exercuit quoque, eodem duce ac praeside, cum lingua ingenium: non tantummodo Schnobelianas disputationes inter aequales ventilando; in quo genere certaminis subinde alia quoque occasione impugnantis partes sustinuit: sed praeterea conscriptam *De Usurarum labe* dissertationem, cum laude publice defendendo. Ne ius canonicum praetermitteret intractum, quum domesticae in id scholas, consilarius Isnacensis intimus & antecessor illustris, *Christianus Wilduogelus*, hoc tempore Academiae Prorektor magnificus, instituisset, ipse etiam, in auditoribus professus nomen, hac sese parte praebuit sollertem. Eoque functus labore, coronidem imposuit academicis meditantis.

Non ferebant tum eius rationes, vt reuersurus in patriam solitos studiorum honores peteret. Quo tamen publicum consequeretur profectuum testimonium, atque in Candidatorum numerum referretur, Ordini nostro se stitit examinandum: consensuque iudicatus fuit dignus, cui ad publica etiam spe-

cimina, quocunque sibi commodum foret tempore, aditus panderetur. Hac fiducia discedens, statim Mæcenatem inuenit sibi propitium, perillustrem Postersteinii Volmersheimique Dominum, *Georgium Dietericum Pflugium*, serenissimi Ducis Saxo-Gothani a consiliis intimis, & Altenburgici Regiminis cancellarium; tam suis in virtutibus ac meritis, quam antiquitate stirpis, & maiorum gloria eminentem. Quamuis properantibus nimium fati patriæ ereptus sit, in animis tamen hominum æternum est mansurus. Huius patrocinio Candidatus noster advocatis præfecturæ Altenburgensis additus, ea solertia & successu commissas sibi clientum causas vel egit, vel defendit, ut paucorum lapsu annorum Ducalis etiam, quod laudauimus, Regiminis oratoribus (ita appellabantur quondam) annumeraretur. Quibus partibus pro fide ac viribus huic usque perfunctus, e re sua esse deprehendit, ut DOCTVRÆ quoque elogio ac priuilegiis ornetur. Hisce impetrandis quum sola, quorum ante mentionem fecimus, publica specimen, in hunc diem iusto consilio dilata, deessent, ad ea nunc ipsa senet accingit. Liceat, PRORECTOR ACADEMIÆ magnifice, & cum Senatu reliqua huius Athenæi decora, vestræ sperare ac venerari præsentia splendorem, agnituro equidem deuota & obsequiosa mente, quantum vobis sit debiturus. Aderunt & fauentes, qui gaudent Academiæ, inque eadem ipsorum studiorum flore ac præmiis: tu in primis, o succrescens lætis omnibus, & decoratura olim publicam rem luuentus, cui omnis ad egregia, & acuemdam industriam stimulus quouis gratior esse debet otio, quauis voluptate. P.P. in Academia Ienensi, d. xxvii Febr.

M D C C X I.





**V**ANDO adnotandi quadam spatium superest, ne cui scrupulus temere iniiciatur, Aegidio Menagio, in extremo paginae quartae, adscribi a nobis, quae nusquam tamen appareant: sequentia monenda duximus. Rationem, cur Digestorum a Saluio Iuliano scriptorum libri, pro commentariis ad Edictum perpetuum ab ipso habeantur, ex verbis petendam esse, quibus Claudii Columbetti sententiam expendit. Scripserat Columbetus, Iulianum centum digestorum edictorum libros edidisse. Auctorem veterem, qui id traderet, diu se frustra quaesiuisse Menagius ait: tandemque putat, Columbettum ad Indicem Iustinianicum, Pandectis Florentinis praefixum, in quo Digestorum libri nonaginta; atque ad inscriptionem legis xx x ii *De legibus*, in qua Digestorum liber quartus & nonagesimus memoratur, respexisse; tantum autem numero usum fuisse rotundiore. Causam suae opinionis hanc reddit: quod libri illi ab Edictorum libris haud esse alii videantur. *Si enim, inquit, diuersi essent, librorum Iuliani ad Praetorum Edicta non meminisset auctor illius Indicis: quorum non meminisse; qua erant auctoritate; piaculum fuisset.* Illi vero quatuor & nonaginta, aut saltem nonaginta libri, nequaquam esse possunt *libellus breuis*, quo de Iustinianus loquitur. Obserues porro, Columbettum τοῦ Digestorum, καὶ ἑλληνικῶν positum, supplere, addito *edictorum* vocabulo.

Hae fortassis non intempestiuum erat, notauisse. Qui vel ἀλότρηα, quam vacuas paginas malunt, si nec, quae occasione legis xx x ii *De in ius vocando* subiicimus, aspernabuntur. Feminis apud Romanos stare in iudicio licuisse, adeo non dubium est, ut maiores viginti quinque annis causam suam ipsae agere possent, etiam sine curatore. Quin etsi conditio naturae, & ipsa pudoris ratio, qui quam maxime decet molliorem sexum, postulare videbatur, ut ne forensi

turbæ miscerentur mulieres: permiffum tamen fuit, vt pro aliis quoque verba facerent, ac latratibus tribunalia exercent. Neque Edicto fuppreffa tandem illa licentia fuiffet, nifi vnus improbitas mulieris, professa impudentia magistratum inquietantis, consulere publico pudori, & omnium existimationi, prætorem coegiffet. Quod ex Valerio Maximo, lib. VIII, cap. 3, & Vlpiano legis I, §. 5 *De postulando*, in vulgus notum est. Quantum in publicis negotiis sexui huic alicubi concedatur, minus est præsentis instituti memorare. Vnicum tamen ex Octauio Ferrario locum adducam, quantum illa Ludouico Magno, in Gallos suos imperium auspicanti, turbatum dederint. Nullus, inquit, in Panegyrico huic regi dicto, *ordo ea labe intactus: nec virilia tantum portenta. Mulieres turbandis rebus adscita, aut vltro oblata, procax genus, & potentia auidum, natura vitio, & longa aule adfuetudine miscere cætus edoctum. Occulti amores, professa odia, aut blanditiis velata, lætatio, spes, minæ, & supra sexus calliditatem mille doli & ambages, ac viris quoque horribiles machinationes, implexa fallacia, antecessura fabulas latrocinia, cuncta in scena speciem composita, funesti Gallie ludæ, & pudenda Floralia.*

Philemonis apud Stobæum iudicii pag. 15 mentionem fecimus. Versus transferemus huc, sed Latine redditos, ex Sermone xxxvi, qui de Garrulitate agit.

*Eum qui nihil opportune dicit,  
Longum puta, licet duas tantum syllabas dicas.  
At bene dicentem ne longum existimes:  
Etsi permulta dixerit, & longo tempore.  
Huius indicium Homerum accipe.  
Is enim nobis myriades scripsit versuum:  
Nullus tamen Homerum appellauit longum.*

Sed qui hodie per ora hominum volitant Sapientes, de Homero forsitan aliter statuunt: quibus non longus modo, sed longe maximus videatur nugator.

—(O)—

ULB Halle

3


006 519 679



Vol 18







1711,20 4/

PROGRAMMA  
**IO. PHILIPPI SLEVOGTII, D.**  
in Academia Ienenii antecessoris, Faculta-  
tis Iuridicæ & Scabinatus Senioris, illiusque  
hoc tempore DECANI

*Lectiōni auspicali*

**IO. CHRISTOPHORI HEINIGKII**  
Summorum in utroque iure honorum  
Candidati meritisimi  
*premissum*  
**I E N A E, M D C C X I**

---

LITTERIS GOLLNERIANIS.

KÖNIGLICH  
UNIVERS.  
ZUMALLE

